



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**S. Augustinus, Episcopus in Africa Hipponeñsis, Veritatis
Evangelico-Catholicæ In Potioribus Fidei Controversiis
Testis Et Confessor, Contra Bellarminum Et Alios
Scriptores Papæos, antiquos pariter & ...**

Reiser, Anton

Francofurti, 1678

[Liber Qvartvs]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72506](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72506)

Pauli ad Romanos capite; unde quā ratione è minori ad majus, à statu regenitōrum, de quo Apostolus ibi propriam sītēns personam agit, ad statum irregenitōrum licet firmiter concludere & argumentari, nemo logicā etiam naturalis tantū peritus non agnoscit. Quod in specie attinet loca ex opere imperfecto Augustini contra Julianum hoc demum seculo è Codicibus Manuscriptis publicato, item ex libro contra Cœlestium de Perfectione Iustitiae, quæ necessitatē peccandi post lapsum homini expressissimè adscribunt; inter tria, quæ ad illorum & similiū explicationem observanda commendat Petavius, postremum proximè ad sententiam Evangelicorum accedit, dum necessitatē hoc etiam modo scribit usurpari, ubi id neceſſe dicitur, quod absoluē quidem potest non fieri, quia in voluntate facientis est situm, sed ex certis rerum, temporum ac personarum circumstantiis difficile est non fieri, inò ſemper fit. Atque hæc possunt hāc quidem vice contrā Petavium ſufficere, post cuius labores vix quidquam novi ad præfens negotium circa Augustini autoritatem pertinens apud recentiores invenitur, ut adeo ulterioribus vindiciis Pater augustus non indigeat, in hāc etiam Controversia Testis & Confessor Evangelicæ veritatis constantissimus.

LIBRI QVARTI,

CAPUT SEXTUM,

De

Arbitrio Servo.

Praetermittendæ sunt plurimæ Quæſtiones, quas Bellarminus ſtylo non niſi Scholastico partim contra ſemetipſum, partim contra alios ſui ordinis trahavit, non plane nunquam à tramite Veritatis etiam ab aliis agnitiæ errans, Statum Controversia ſepiuſ mirans, ac ita confusè in toto hoc negotio versans, ut non ſemper conſtet, contra quos agat aut disputet, rarius certè contra hæreticos, quos vo-
cat, in quorum gratiam tamen opus hoc in Titulo scriptum legitur. Ut autem vel tribus verbis de unā & alterā Quæſtione quaſi in tranſcurſu ſententiam dicamus, capite octavo libri antecedentis tertii, ubi demonſtrare contendit, liberum arbitrium eſſe ipsam voluntatem ac ita liberam, ut tamen determinatur à judicio ultimum practicæ rationis, ſextam Propositionem hanc formavit, Voluntatis elec̄tio pendet neceſſario ab ultimo judicio practicæ rationis quo ipſomet ſibi juxta ſententiam in Controversia p̄cedente defenſam contradicit, & ſimul pro Evangelicis ſcribit atque ostendit, poſſe voluntatis libertatem ſtarre cum aliquā neceſſitate, quam Augustinus etiam non ſemel inculcavit, ac in præſenti etiam Quæſtione porro inculcabit. Ita non æquè maniſtum eſt, quomodo fine apertissimā contradictione voluntatis elec̄tio dependere dicatur neceſſariō ab ultimo rationis practicæ judicio, & ſimul ſtatuerat, liberum arbitrium eſſe potentiam voluntatis non partim activam, partim paſſivam, ſed ſimpliciter & abſolute activam, quod capite ſequenti decimo contra cæteros Doctores Scholasticos non paucos, nec inferioria Subſellii ſtatuit Bellarminus, hic etiam, ut alias non ſemel, ſui & ante à ſe ſcriptorum imme-
mor. Capitis duodecimi Inſcriptio nimis cruda eſt ac nuda, Per liberum arbitrium non expetimata, ſed bona; quam nuditatem crudam & nudam cruditatem aliquantò lib. II. c. 4. ornatiōrem & magis excoſtam post exhibuit, respondens ad objectam Augustini & 9. authoritatem, de ſemet ipſo in opere Confessionum ſcribentis, ſe in Furto non amaffe, niſi peccatum, explicando id ipliſ Augustini verbis, mentem ſuam ita exprimitis amaffe ſe quidem in furto peccatum, ſed ſub ratione boni delectabilis, quia nimur gavisus cum ſociis fallere viciuum. Et dum capite post decimum quarto ſcribit atq; doceat, liberum arbitrium non eſſe ipſius finis objective, ſed mediorum ad finem, confundit ipſam libertatem voluntatis in agendo & exequendo cum prævia consultatione & ſequente cam elec̄tione, his ad media magis, illa ad finem magis respiciente; ut ut utrobiue finis & media ſimul

similiter diverso quamvis respectu, rationem habeant objecti, cum homines sanâ mente prædicti ad finem respiciant non immediatè, sed per certa quadam media, ipsa autem media non suspiciuntur, nisi ob certum quendam finem & scopum. Tandem libri hujus tertii capite antepenultimo DEUM recte quidem probat esse liberi arbitrii, quod omnes Evangelici agnoscunt ultrò, cā nimis observata explicatione, ad quam ipse Bellarminus suprà præbuit ansam; male autem capite quod antecedit proximè, Lutherum iis Doctoribus vel Ethnicis, vel Christianis, uti vocat, nominatum Aristotelei & Avicenne, (miserrimum, quod Stoicos omiserit, quibus eadem opinio à plerisque, quamvis juxta aliorum sententiam sine sufficienti causa, adscribitur) Abailardo & VVielefo adiunxit, qui DEUM ex necessitate, scilicet absoluta, (de ea enim hic controvexitur,) agere statuantur docuisse, citata Assertione articuli trigesimi & sexti, ubi scripsit, veram esse sententiam VVielefi, quae habet, omnia necessitate absoluta evenire. Verum si Tomo operum Iena editorum secundo hæc adserit articulorum Lutheri inspiciat, admotis etiam Macroscopis quibuscumque nihil eorum invenitur, qua Bellarminus aliquo forsitan Microscopio usus ibi legisse videretur. Articulus ipse de verbo adversum ita habet: *Liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo, & dum facit, quod in se est, peccat mortaliter.* Nemo autem non videt, Lutheru non esse sermonem de DEO, de cuius libertate in agendo tum quidem ei nulla fuit quæstio, sed de homine tantum, eoque in statu peccati post tristem lapsum considerato, Augustini autoritate subiuncta, verbis sequentibus, paucis quidem, sed sufficientibus & satis efficacibus, ex opere de spiritu & literâ adductis: *liberum arbitrium sine gratia non valet, nisi ad peccandum.* Addit Lutherus plurimâ cum observatione: *Rogo, quæ est libertas ista, quæ non nisi in alteram partem potest, eamque priorem?* *Est hoc esse liberum, non posse, nisi peccare?* Et ubi hanc suam sententiam sufficientibus scripturæ testimoniis munivit, hoc porrò ad ubiorem ejus confirmationem notavit: *Si scriptura non doceret hæc, abundè ex omnibus Historiis hanc veritatem discernemus, & unusquisque ex vita sua propria. Quis enim est, qui omnia, que voluit, effecit? Imo, quis id, quod cogitavit facere, non sibi alia statim cogitatione mutavit, ne sciens, quomodo mutarit? Quis audet negare, se etiam in malis operibus sepè coactum aliud facere, quam cogitare?* Post aliqua: *Ipsam radicem operum, vitam nempè ipsam, quæ omnium operum caput est, scimus omnes, nullo momento esse in manu nostrâ; & audiendum dicere, aliquam cogitationem esse in manu nostrâ.* *Quid absurdius dici potest?* *Qui ergo vitam nostram in manu sua retinuit, motus nostros & opera in manu nostrâ posuit?* Absit! Hæc & plura Lutherus ibi, nullâ unquam mentione factâ VVielefi, nec in pennam veniente ullâ necessitate DEO in actionibus adscribenda; ut adeò Bellarminus vel ab alio, unde hæc exscriptis, videatur seductus, vel criminis falsi reum hic quoque se fecerit, cuius documenta in antecedentibus non rara fuerunt, & fortè in sequentibus etiam aliquod augmentum exhibebitur. Nunc intactis quoq; iis, quæ sub initium libri, de Gratia & libero arbitrio quarti habet Bellarminus, partim de cognitione DEI essentia unius naturali, partim de sufficientia auxili generalis ad actiones naturales & civiles efficiendas, abh; abhendo à malitia vel bonitate moralè, ut potè circa qua non est, quod sub adeò rigorosum examen posset venire, ante-quam plus ultra camus, non planè nullius erit opera pretium considerare, an terminus servi in homine post lapsum arbitrii quod communiter alias & vulgo liberum dicitur, adeò sit intolerabilis, ut ob id ipsum Bellarminus jure capitî sexto hoc lemma præfixerit, *Non posse ab insigni temeritate defendi modum loquendi adversariorum, qui nomen arbitrii liberi in nomen servum mutarunt?* observavit autem in genere Apostolorum Paulum scribendo, admonere, ut fugiamus vocum novitates. In specie subsumit, *Nomen arbitrii servi in Ecclesia Catholica per totos mille quingentos annos nunquam fuit auditum, cum tamen ab ipso nascentis fidei principio ac deinceps variis atabib; nunquam defuerint heretici, qui liberum arbitrium vel extulerunt nimium, vel etiam contra nimium depresso;* Neque hic omnino præteriri debet silentio, quod idem Bellarminus capite antecedente Lutheru inconstantiam in hac quæstione aulsa est adscribere, vindicando ob id ipsum, ne & hic Augustino videatur fuisse contrarius. Bellarmini accusatio sequentibus absolvitur: *Lutherus in assertione articuli post trigesimum sexti summam rerum suarum in doctrinâ de arbitrii servitute constituit, sic enim ait, In ceteris articulis, de Papatu, de Conciliis, de indulgentiis, aliisque non necessariis nugis ferenda est levitas & stultitia Papæ & suorum; sed in hoc articulo de servitute arbitrii, qui omnium optimus, & rerum nostrarum summa est, dolendum ac flendum est, miseris sic insanire.* Et in libro adversus regem Anglorum

Ttt

gelorum

glorum scripsit, adē se certum esse de doctrina sua, ut si quis aliter doceret aut damnaret, quae ipse scripsit de fide, de operibus, de libero arbitrio & similibus, is damnaret DEVM, & oporteret eum manere filium Gehenna. Videamus igitur, scribit Bellarminus, constantiam ejus in summā doctrina, de quā se esse certissimum jactabat. In adsertione articuli antē citati ita loquitur: *Liberum arbitrium est segmentum in rebus, & titulus sine re, quia nulli est in manu, quidpiam cogitare boni vel mali, sed omnia, ut articulus Wilephi Constantiae damnatus recte docet, de necessitate absolutā eveniunt; quod & Poëta voluit, quando dixit, certā stant omnia lege. Et Christus, folium arboris non caderet in terram sine Parre vestro. Et infra, Non est dubium, Sathanā magistro in Ecclesiam venisse hoc nomen.* Bellarminus subiungit, hic aperte Lutherus simpliciter tollit liberum arbitrium omnibus in rebus, juxta hæresin Wilephi, & ideo ipsum etiam nomen liberi arbitrii damnat; ex quo factum est, ut liberum adversus Erasnum inscriperit de servo arbitrio. Sed ita pergit Bellarminus, audi nunc retractationem, quæ extat in libro ejus visitatione Saxonica, quam postea scripsit; sic enim loquitur in articulo de libero arbitrio: *Multi de libero arbitrio loquuntur indiscretè, idcirco brevem hanc informationem adscripsimus. Homo habet ex propria virtute liberum arbitrium ad faciendum vel omitendum opera externa, per legem & panas adactus; quapropter potest & secularem probitatem & opera bonafacere ex propria virtute à DEO ad hoc datā & obtentā, Paulus enim vocat eam iustitiam carnis, hoc est, quam caro aut homo ex propria virtute facit. Si ergo operatur homo ex propria virtute ullam iustitiam, utique habet electionem & libertatem, & fugiendi malum, & faciendi bonum. Item ibidem, Voluntas humana est vis libera, ut facere possit iustitiam carnis seu iustitiam civilem, ubi lege & vi agitur, ut, non furari, non occidere, non machari &c. Hec ille, ubi per iustitiam carnis intelligit opera bona externa, non tamen bona simpliciter, ac per hoc docet, posse hominem per liberum arbitrium facere & non facere, quæ lex jubet, non tamen peccare aut non peccare. Itaque admittit arbitrii libertatem in actionibus civilibus & exteris, quam negaverat in adsertione, & nomen liberi arbitrii recipit, quod à Sathanā magistro in Ecclesiam venisse dixerat antē. Ita damnat ipse articulum suum optimum & summam rerum suarum, &, si verum sit, quod scripsit in libero adversus regem Anglorum, damnavit DEUM, & oportet eum manere filium Gehennæ.*

Ut de his posterioribus dicamus ante-quā ratio servi hominis arbitrii à Luthero ad Augustini mentem constanter defensū defendatur, notandum venit, Bellarminum hic etiam, ut paulò ante, non rite Lutheri sententiam ex adsertione articulorum à Leone X. damnatorum expressissimam, quæ verbis ibidem legitur sequentibus: *Hunc articulum necesse est revocare. Quem articulum intelligat, indicatum est supra. Magis enim dixi, quod liberum arbitrium ante gratiam sit res de solo titulo; sed simpliciter debui dicere, liberum arbitrium est segmentum in rebus, seu titulus sine re, quia nulli est in manu sua quidpiam cogitare mali aut boni, sed omnia sub DEO sunt, contra quæ nihil possumus, nisi quantum permittit aut facit ipse, quod & Poëta voluit &c. Prudens lector intelligit facile, quam hic revocationem instituerit Lutherus; talēm videlicet, per quam nihil decedit sententie priori, sed quæ eam aliquanto clarius exprimat. De articulo Wilephi damnato Constantiae nulla planè fit mentio, quod ante jam fuit observatum; neque etiam hic scripsit Lutherus, omnia evenire de necessitate absoluta: Quis verò sensus sit verborum, quando scripsit, nulli esse manu sua, quidpiam cogitare mali aut boni &c. in sequentibus ostendit, ubi porro legitur: Fallit miseros homines rerum humanarum inconstanter, seu, uti vocant, contingentia oculos enim stultos mergunt in res ipsas operaque rerum, nec aliquando elevant in conspectum DEI, ut res supra res in DEO cognoscent. Nobis cum ad inferna spectantibus res adpareat arbitraria & fortuita, sed ad superna spectantibus omnia sunt necessaria; quia non sicut nos, sed sicut ille vult, ita vivimus, facimus, patimur omnes & omnia. Cessat liberum arbitrium erga DEVM, quod adparet erga nos & temporalia; illuc enim, ut Iacobus ait, non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio. Hic verò mutantur omnia & variantur, & stulti nos estimamus divina secundum hec temporalia, ut libero arbitrio presumamus DEVM prevenire & gratiam extorquere velut dormienti, quoties libitum fuerit, quasi nobiscum posset mutari, & velit, quod aliquando non voluit, idque libero nostro arbitrio operante & volente. O furor omnium furorum novissimus. Hec Lutheri mentem satis clarè exprimit, & simul*

simil docent, eum non contraria docuisse in libro de *Visitatione Saxonica*, ubi quamvis scribit, hominem ex propria virtute liberum habere arbitrium, notanter addit tamen, propriam virtutem à DEO datam & obtentam esse, quod cum antecedentibus congruit ex aſſe, in quibus DEUM iuſſit respicere, tanquam liberi arbitrii datorem & sapientissimum in cunctis actionibus moderatorem. Hoc ita ostendo, videndum nunc restat, num terminus arbitrii servi, quo librum inscripsit Lutherus contra Erasmus, à multis haec tenus arrosum, sed sufficienter à non paucis nostris Theologorum integris etiam scriptis, nominatis post alios *Haberkornio & Schmidtio*, illo Gieslenium, hoc Argentinensium Theologis defen-
conf. D.
sum, adeo sit intolerabilis & tam insigniter temerarius, ut defendi non possit, in
Meifn. An-
que Antiquitate Ecclesiastica omnino inauditus, uti Bellarminus scribere in publico
tropol.
ausus est, talia non scripturus, nisi occurreret plane fuisse & odio Veritatis pra-
Dip. 23.
Quæst. 2.
occupatus. Si enim intolerabilis est hic terminus in Ecclesia, deleantur in Conci-
one CHRISTI contra Iudeos infideles habita, quibus faciens peccatum servus pec-
cati dicitur; expungantur verba Apostolorum maximi & in hac Quæfione verfa-
tissimi, quibus Romanos gentiles ante Conversionem fuisse dixit *servos peccati*; expurgentur alia utrinque Testamenti scripta Prophetico-Apostolica, quæ hanc peccati servitudinem, cui homo post tristem Adami lapsum est obnoxius, nullibi non, ubi suppeditatur occasio, inculcant gravissimè huncque statum ob id ipsum insigniter deplorant quorum Authores ex sententia Bellarmini erunt temerarii, quod sine blasphemia cogitari nunquam potest aut debet. Quam vero audax est pronun-
tiatum illud, quo Arbitrii servi nomen per quindecim Secula à CHRISTO dici-
tur in Ecclesia inauditum, cum Lutherus in ipso hoc libro, quo arbitrium servum defendit contra Erasmus, provocari ad authoritatem Augustini, quæ hic solum attenditur, scribens inter alia, *Lombardum* plane cum Augustino, sentire, videlicet, T. III. Jen.
liberum arbitrium sūpt̄e vi non posse nisi cadere, nec valere, nisi ad peccandum, secun- p. 181. b.
do contra Julianum libro in hanc rem citato. Plura colligit ex eodem loca *Chem-
nitius* noster, quem alias non indiligerent legit Bellarminus, unde potuit cognoscere, non adeo inauditum fuisse hunc arbitrii servi apud scriptores Ecclesiasticos terminum, nisi contra apertissimam Veritatem scribere volueret. Post *Chemni-* conf. D.
tum verò plenique locorum communium Theologicorum scriptores eadem hæc te- Meifn. Phil.
ftimonia ex Augustino lectoribus commendarunt, eum in finem, ne Lutherus Seet. 1. qv.
scripto huic suo de servo Arbitrio novum & inauditum videatur præfixisse ti- 26.
tulum.

His omnibus addi nunc potest atque debet *Iansenius* Ypresis, qui secundo Augustini sū Tomo de *Statu Naturae* lapsē agens peculiare caput huic materiæ consecravit, oftenſurus ex Augustino, *hominis arbitrium captivitati & servituti obſtrui-* lib. III. c. 3.
ctum esse, confirmans, cum sexcentis suorum locis docere, *arbitrium voluntatis* P. 437.
post peccatum ex libero factum esse peccati servum atque captivum, in eaque captivi-
tate & servitute possum non posse nulla modo suis viribus à compedibus, quibus est vin-
ctum, exui, ut respiret in libertatem. In specie eum sic loqui in opere de Nuptiis & Concupiscentia: Non liberum negamus arbitrium, sed, si vos Filius liberaverit, ait I. II. c. 3.
Veritas, tunc vere liberi eritis. Hunc vos invideris liberatorem, quibus captivis vanam tribuitis libertatem. A quo quis enim devictus est, huic servus est addictus,
sicut scripture dicit; nec quisquam nisi per gratiam liberatoris isto solvitur vinculo ser-
vitutis, à quo est hominum nullus immunit. Et ibidem post aliqua: Cur hominis cap. 8.
mala cogitatio non potest in perpetuum mutari, nisi quia per seipsum non potest, sed si
Gratia DEI subveniat? Quā non subveniente quid sunt homines, nisi, quod ait Apo- l. III. c. 8.
ſtolas Petrus, velut animalia muta naturaliter procreata in captivitatem & interitum.
In opere contra duas Pelagianorum Epistolas ita: Liberum arbitrium captivatum cap. 30.
non nisi ad peccatum valet, ad Inſtitiam vero nisi Divinitus liberatum adjutumque non
valer. Et in libro de Spiritu & litera, Ad quid miferi homines aut de libero arbitrio
audent supercilire, antequam liberentur, aut de suis viribus, si jam sunt liberati;
nec attendunt, in ipso nomine liberi arbitrii utique libertatem sonare. Ubi autem
spiritus Domini, ibi libertas. Si ergo servi sunt peccati, quid se jactant de libero ar-
bitrio; à quo enim quis devictus est, huic & servus est addictus? Si autem liberati
sunt,

cap. 30.

lib. I.

sunt, quid se jactant in opere proprio? In Enchiridio ad Laurentium, cùm laudaram
modò Petri sententiam citâsset, subjunxit: *Quæ cùm vera sit, qualis quo s̄ posset
esse servi addicti libertas, n̄isi quando cum peccare delectat? liberaliter enim servit,
qui Domini sui voluntatem facit libenter, atque per hoc ad peccandum liber est, qui peccati
servus est. Vnde ad justè faciendum liber non erit, nisi liberaatus à peccato caperit esse
iustitie servus.* Et Paucis interjectis, libertas ad bene faciendum unde erit homini ad-
dicto & vendito, nisi redimat illa, cuius vox est, si vos Filius liberaverit, tunc vere
liberi eritis? *Quod ante-quām fieri in homine incipiat, quomodo quisquam de li-
bero arbitrio gloriatur in opere bono, qui nondum liber est ad operandum bene, n̄isi se
vanâ inflatus superbia extollat &c.* Et in opere contra Julianum imperfecto, *Fides
Catholica bonam, sed mutabilem creaturam tamen in deterius voluntate, ac per hoc de-
pravat à suâ vitiataque naturâ, non sub alienâ substantia, sed sub peccato suo reum di-
cit serviliter detinari.* His subjungit Jansenius, Talibus testimoniis Augustinus est
plenus, hoc semper significantibus, Arbitrium peccati obnoxium non solum
suppliciorum esse reum, quod Pelagiani, maximeque Julianus, libentissimè fate-
bantur, sed (etiam) serviliter sub peccato, hoc est, sub cupiditate seu concipi-
scientia peccati (Ita loquitur vi hypotheseos receptæ) comite & supplicio detineri,
ita ut à peccandi desideriis & adfectibus se liberare non possit. *Quā de causa ibi-
dem in codem opere imperfecto ait Augustinus Julianum adloquens, Nega si potes
eos, quibus dixit Apostolus, cùm essetis servi peccati, liberi fuistis Justitiae, habuisse
liberam in bonis voluntatem, quando fuerunt servi peccati.* Hæc ex Augustino Jan-
senius, quæ possunt in præsens sufficere ad Lutheri defensionem.

LIBRI QVINTI,

CAPUT NONUM & UNDECIMUM,

De

QUÆSTIONE,

*An posset homo sine Fide cum auxilio speciali, & sine illo etiam
bonum aliquod morale, si nulla urgeat tentatio, perficere?*

Circa hujus Quæstionis formationem debet notari, quamvis verba, *si nulla ur-
geat tentatio*, non parvi videantur esse momenti ad ipsius Controversia sta-
tum rite ponendum & enucleandum, in ipsa tamen ejus tractatione parum
aut nihil omnino ea fuisse à Bellarmine observata. Nostrum nunc iterum erit ad Au-
gustini autoritatem respicere & videre, quæ ejus fuerit mens & sententia de vir-
tutibus Gentilium, quæ tantis celebrantur laudibus. Bellarminus quidem sine omni
dubio putat à suis eum stare partibus, cuius rei causa non solum plura colligit ex variis
operibus testimonia, quibus hoc probatum dare cupit, sed prolixissimè etiam ad ea
respondere conatur loca, quæ in contrarium solent à non paucis adduci. Priore
quod attinet, ita de eis scribit Bellarminus: *Augustinus docet, quædam opera bo-
na fieri sine Fide, sed cum DEI auxilio speciali; & rursus alia sine auxilio speciali,
solis naturæ virtibus.* *De primi generis operibus* testimonium habemus in Epistola
post centesimam trigesimam, ubi laudat continentiam Polemonis, *quoniam DEI do-
num est*, inquit, & addit, *Quod si ille hoc donum cognovisset, fuisse non solum con-
tinens, sed etiam religiosus, & pius, & continentiam habuisset non solum ad honestatem vite
presentis, sed etiam ad aeternæ meritum.* Et in opere contra Julianum loquens de
virtutibus infidelium inquit, *Quantò tolerabilius illas, quas dicas in impiis esse vir-
tutes, Divino muneri potius, quām eorum tribueris tantummodo voluntati, licet ipsi hoc
nesciant.* Denique in libro de Prædestinatione sanctorum, & in opere de Baptismo,
eleemosynas Cornelii, antequam crederet in CHRISTUM, & Iustitiam ad-
DEI

lib. 4. c. 3.

cap. 7.